

**I. LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM
IN ^a-CONVENTU GENERALI PIOTRCOVIENSI^a DECRETARUM**

Sigismundus, ^brex Poloniae^b etc. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris tam terrestribus quam civitatum et oppidorum, honoribus et officiis insignitis, ad quos praesentes litterae nostrae pervenerint, et praesertim in palatinatu N.^c et districtibus eius consistentibus, sincere et fidelibus dilectis, salutem et gratiam nostram regiam. Reverendissimi ac reverendi^d in Christo patres, necnon magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles dilecti. Subortis novis reipublicae difficultatibus in terris nostris Russiae et exigente alia difficultate cum Thartaris, cum quibus nullum foedus, nullam certam pacem habemus, necesse fuit tantis discriminibus diligentius, quam unquam alias, consulere et providere. Volentes igitur nos^e tempestive his et aliis difficultatibus et periculis reipublicae consulere, indixeramus conventum generalem Pyotrcouiae^f ad festum divi Andreae apostoli [30 XI 1531], quem commodum transegimus. In quo communi omnium tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium consilio et voluntate contributiones infrascriptae^g pro defensione reipublicae et nervo belli statuimus et decrevimus.

In primis ex singulis mansis seu laneis agrorum, quos singuli ^hcoloni seu kmethones^h villarum tam nostrarum quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum colunt et possident, viginti grossi communis et usualis monetae secundum antiquas quietantias contribuentur, quorum medietatem, hoc est decem grossos, solvet dominus et possessor villae, aliam vero medietatem, hoc est alios decem grossos, colonus ad duas temporum ratas infrascriptas, hoc est duodecim grossos pro dominica Letare proxime ventura [19 III 1531], octo vero grossos residuos pro festo sancti Bartholomei proximo venturo [24 VIII 1531].

Nobiles vero, qui colonos seu kmethones non habent, solvet quilibet eorum de quolibet laneo suo seu manso duodecim grossos, sex grossos videlicet pro dominica Letare proxime ventura et alios sex grossos residuos ad festum sancti Bartholomei superius expressum. Illi vero nobiles, qui praedia, non laneos habent, computatis istiusmodi prediis in laneos seu mansos, solvent de quolibet laneo seu manso duodecim grossos, de medio laneo seu manso sex grossos, de quarta parte lanei seu mansi tres grossos et reliquum de quantitate laneorum seu mansorum. Ubi autem duo, tres aut quattuor pauperes nobiles unum laneum seu mansum colunt, solvent omnes simul de huiusmodi uno laneo seu manso duodecim grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionem lanei seu mansi, medietatem videlicet pro dominica Letare proxima et aliam medietatem pro festo sancti Bartholomei supra expresso.

Similiter advocati et sculteti non habentes colonos seu kmethones solvent de suis laneis seu mansis per unum fertonem. Advocati vero seu sculteti kmethones habentes solvent ita, ut alii domini, de censu suo per eorumⁱ kmethones sol vi eis consueto per decem grossos de quolibet manso, et coloni seu kmethones ipsorum solvere etiam tenebuntur per decem grossos de quolibet manso secundum antiquas quietantias ita, ut kmethones aliorum dominorum et ad ratas supradictas.

Item civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium in toto regno nostro exactionem civilem, quam *schoss* vocant, unam cum media et sextam unius integrae partem iuxta antiquas quietantias solvent et contribuent. Quae quidem civilis exactio integra solvi debet per easdem civitates et oppida pro dominica Letare proxima, medietas vero eiusdem exactionis civilis et sexta pars unius integrae supra nominata contribuetur pro festo sancti Bartholomei.

Quae autem civitates et oppida libertatem habent a civili exactione, nihil contribuent. Idem de villis vastatis, exustis et libertatem habentibus, quae non solvunt census dominis suis, est

^{a-a} W MK2, t. 45: conventu Pyotrcouienſi generali. W MK1, t. 44 *dodano*: pro festo sancti Andree Apostoli anno Domini 1530 celebrato. ^{b-b} Brak w MK1, MK2. ^c Tak w MK2; w MK1 *zostawiono puste miejsce*. ^d MK2: reverencie *sic*! ^e MK2 *dodaje*: hoc. ^f Piotrcovie MK1. ^g infrascriptas MK2. ^{h-h} kmethones seu coloni MK2. ⁱ cum MK1.

intelligendum, ita quod incolae huiusmodi villarum liberi sint et esse debeant a solutione contributionis in praesenti conventu institutae.

Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatelli, *czopowe* dicta, in hisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium incipiendo a festo Annuntiationis ^{ij}Beatae Mariae^j proxime venturo [25 III 1531] ad integrum annum a singulis cerevisiae cocturis more solito solvi debet, ex quibuscumque braseis fuerit eadem cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum, ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta.

Item etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, ab eadem cerevisia exactionem ducillorum ipsi tabernatores et quisque eorum per sex grossos solvet, ac etiam de cerevisia externa, quae de externis regionibus et ducatibus nobis et regno nostro non subiectis ad ipsum regnum nostrum ducitur, ut Swidnicensi, Theschnensi, Bernoviensi et alia quacumque, contributio ipsa *czopowe* solvatur. Qui vero nobiles subditi nostri pro sua domestica necessitate et usu proprio coqui faciunt cerevisiam in civitatibus et oppidis, contributionem *czopowe* ab illa non solvent, si autem illam ad propinandum suis aut alienis tabernatoribus dederint, ab illa contributionem ipsam *czopowe* tabernatores solvere tenebuntur.

Item tabernatores hereditarii, sive sint dominorum, sive advocatorum seu scultetorum, qui agros habent, ab illis contributionem solvent iuxta agrorum quantitatem, hoc est de singulo laneo seu manso pro prima rata praedicta decem grossos, de medio laneo quinque grossos et reliquum de quantitate laneorum, exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisiae more consueto solvere nihilominus erunt astricti.

Alii autem tabernatores manuales, qui advectitiam propinant cerevisiam, sex grossos semel hoc anno ad duas ratas solvere debent, et hi contributionem *czopowe* non solvent, cum non coquant cerevisiam, sed alius illam ad propinandum adducunt.

Item molendina omnium villarum tam nostrarum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, quae *poysrzebne* vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis sex grossos solvent. Quae vero molendina deserta sunt et in eis frumenta non moluntur, illa seu illorum molendinatores nihil solvent. Hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et *folusche* ex singulis rotis molendinorum suorum, quae *valne* dicuntur, duodecim grossos persolvent ad ratas temporum supradictas, videlicet sex grossos pro prima et alios sex grossos pro ultima ratis.

Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria, in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata, et secundum antiquas quietantias, contributionem unam cum media et sextam unius integre partem, quae *schoss* dicitur, integram videlicet pro dominica Letare, mediam vero cum sexta unius integre parte pro festo sancti Bartholomei proximo persolvent.

Et similiter illa molendina, quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum regionum exemerunt et illas a se emptas seu in summis pecuniarum obligatas tenent ad usum et utilitatem suam, solvent contributionem, quae *schoss* dicitur, sicut reliqua omnia molendina in regno, seu illorum molendinatores eam solvere solent, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante.

Quorum autem molendinorum nostrorum tertiam mensuram capitanei nostri de mandato nostro et pecuniis nostris redemerunt ad nostram utilitatem, ex illa nihil solvi debebit.

Minerariae vero officinae, alias ferrum facientes, et serrae hereditariae ex singulis rotis duodecim grossos solvent. Annales autem officinae minerariae et similiter annales serrae, hoc est locatae seu conductitiae, a qualibet rota sex grossos, medietatem videlicet pro prima rata et medietatem pro secunda rata solvere debebunt.

Item molendina ventilia hereditaria duodecim grossos, illa vero molendina ventilia, quae anniversarios molendinatores habent, sex grossos solvent ad ratas duas temporum supradictas, hoc est medietatem pro dominica Letare proxima et aliam medietatem pro festo sancti Bartholomei.

Item sacerdotes Rutheni, qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et sinagogis suis mediam

^{ij} W MK, brak.

sexagenam grossorum solvent. Prothopopones vero, alias *namiesthniczy*, per duos florenos in moneta solvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, quae *dworzisza* dicuntur, duodecim grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter duodecim grossos persolvent, sex grossos pro prima et reliquos sex grossos pro secunda rata superius expressa.

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis eisdem contributionibus facta debitae executioni demandetur, generosum N. in palatinatu N.^k et districtibus eius exactorem designavimus et constituimus praesentibus litteris nostris. Qui quidem exactor faciet rationem distincte demonstrando singillatim, quantum ex contributione laneorum, quantum ex civili exactione, quae *schoś* dicitur, quantum ex *czopowe* et quantum ex nobilibus pauperibus, qui colonos non habent, perceperit et thesauro nostro intulerit, ut sciri possit, quae summa pecuniarum ex unaquaque contributionum praedictarum colligatur. Mandamusque^l ut pro designatis temporibus in manus praefati exactoris easdem contributiones persolvere curetis.

Vobis vero capitaneis, quorum interest mandamus, ut praefato exactori nostro pro ratis supra expressis sub poenis ad hoc constitutis absque cuiusvis morae et dilatione interventu de dictis contributionibus per eos, ad quos pertinet, responderi faciatis^m et vos ipsi respondeatis^m. Negligentes vero in solvendo et contumaces per pignorationes et alias poenas solitas ad solvendum easdem contributiones compellatis, pro officio vestro et gratia nostra facturi.

Datum in conventionne generali Piotrcouiensi feria tertia post festum Circumcisionis Domini, anno ab eius Nativitate M^oD^oXXXI [3 I 1531], regni nostri anno XXIV^{to}. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

II. LITTERAE UNIVERSALES DUCILLORUM^a

Sigismundus etc. Universis et singulis principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus dominis archiepiscopis, episcopis necnon magnificis, generosis, nobilibus, famatis et providis palatinis, castellanis, capitaneis, terrigenis, nobilibus, officialibus et eorum vicesgerentibus, heredibus, advocatis, scultetis civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium, consulibus et communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et saecularibus cuiuscunque status, conditionis et praeminentiae existentibus, bona quaecunque tam spiritualia quam saecularia, civitates, oppida, villas, tabernas, possessiones et alia bona quocunque nomine nuncupata habentibus et signanter in terra N.^b et districtibus eius existentibus. Sincere et fidelibus nostris dilectis, salutem et gratiam nostram regiam. Sincere et fideles nobis dilecti. Noveritis communi omnium tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium in conventu generali Piotrcouiensi^c congregatorum voto et concordii voluntate exactionem ducillorum, quae *czopowe* dicitur, multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigentibus^d decretam esse, quae inchoari debet a festo Annuntiationis Sanctae Mariae proximo [25 III 1531] et continuari per integrum annum ad aliud festum Annuntiationis Sanctae Mariae inclusive anni millesimi quingentesimi tricesimi secundi. Exigetur autem et solvi ac exigi debebit eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem modo videlicet infrascripto, ut quilibet cerevisiam coquens venalem, ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta, hoc est sive brasea ipsa sint civium et dominorum sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, a quolibet vase singillatim vel coctura ipsius cerevisiae, iuxta

^k W MK₁ dwukrotnie zamiast N — zostawiano puste miejsce. ^l W MK₁: mandamus, que. ^{m-m} Słowa te w MK₂ ujęto w nawias.

^a W MK₁ dodano: anni introcontenti [odczyt niepewny!]. W MK₂ tytuł brzmi: Litterae universales contributionis czopowe. ^b W MK₁ pozostawiono tu puste miejsce. ^c Piotrcovien. MK₂. ^d Lub: existentibus.